




A qu. 323. XVI .32 .
Rede Leiden







A. qu. 323, XVII, 32

A. qu. 323, XVII, 32

ORATIO

QUAM HABUIT

JANUS JACOBUS CORNELISSEN

KAL. OCT. A. MDCCCLXXIX

QUUM IN

UNIVERSITATE LUGDUNO-BATAVA

LITERARUM LATINARUM ET ANTIQUITATUM
ROMANARUM PROFESSIONEM

SOLEMN1 RITU AUSPICARETUR.



LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.
MDCCCLXXIX.



UNIVERSITATIS LUGDUNO-BATAVAE CURATORES, QUIQUE
CURATORIBUS AB ACTIS ES, VIRI NOBILISSIMI, AM-
PLISSIMI,
RECTOR MAGNIFICE, CETERIQUE ARTIUM AC DISCIPLI-
NARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI,
QUI IN HAC URBE MUNERUM HONORUMQUE AMPLITU-
DINE INSIGNES ESTIS, VIRI HONORATISSIMI,
DISCIPLINARUM ET ARTIUM DOCTORES CONSULTISSIMI,
UNIVERSITATIS HUIUS ALUMNI, IUVENES LAUDATISSIMI,
QUOTQUOT DENIQUE ADESTIS,
AUDITORES HUMANISSIMI!

Quicumque artibus disciplinisque totum se tradidit
is, quum multis aliis necessitatibus parendum sibi videt,
tum nihil quidquam antiquius habere cogitur, quam ut
studiorum cursu intermisso fines terminosque interdum
respiciat, quos sibi constituere solerent, qui olim in
idem descenderint curriculum, consideretque qua ra-
tione conarentur ad metam pervenire propositam. Quae
nisi perspecta et cognita habuerit, gradus semper
lubricos ponet, dubius atque incertus, utrum rectam
viam sit ingressus, an vagis erroribus iactetur. At vero
uberrimos saepe numero fructus percipiet, si ad ea, quae
maiores in iisdem artibus profecerunt, aequo animo diu-
dicata atque perpensa, suos conatus exegerit. Non
solum enim integrum se conservabit a confidentiae et
temeritatis culpa, in quam omnium facillime incidunt,

qui alienis studiis neglectis sua tantum contemplantur, sed recreabitur etiam ac reficietur, quoties fiducia ingenii sui amissa animum despondet atque dubitatio ei movetur, num, quae incrementa alias disciplinas capere videat, iisdem ea quoque augeatur, in qua excolenda promovendaque ipse omnem curam operamque consumpserit.

Haec suorum studiorum cum maiorum comparatio fere nemini magis utilis atque necessaria putanda est quam ei, qui in lingua literisque Latinis tractandis habitat. Reliqui enim omnes, qui qualiscunque disciplinae cognitione delectantur, non mediocrem voluptatem animo percipere inde solent, quod sua scientia, si ad priorum temporum rationes referatur, longe copiosior et accuratior facta sit; neque quemquam futurum esse existimo, qui illorum opinionem vel in disceptationem vocare, vel etiam in superbiam accipere velit. Latinae vero linguae notitiam procedente tempore decrevisse et obsolevisse adeo vulgata inter doctos iuxta atque indoctos opinio est, ut huius aetatis literati nonnisi umbrae et nomina vulgo habeantur virorum illorum, qui doctrinae laudibus olim floruerint. Quid, quod ipse Latinitatis cultor animum contrahere et submittere solet, quoties ingentium illorum operum contemplatione fruitur, quae maiorum studiis laboribusque edita videt. Neque fere ullus terrarum est angulus, ubi priorum temporum luce et splendore magis obruitur, quam in hac patria nostra, in qua Latinae linguae studium in eo olim steterit fastigio, cuius sempiterna apud posteros vivat et victura sit memoria.

Mihi autem earum literarum professionem hodie auspiciaturo, quarum honos et dignitas cum Universitatis

huius gloria artissimis vinculis est coniuncta, nulla res neque temporibus accommodatior visa est, neque dignior, quae orationi meae argumentum praeberet, quam illa literarum Latinarum scientiae defectio et deminutio, quae complures aequales nostri deprehendere sibi videntur. Verba igitur sum facturus de conditione, in qua literarum illarum studium hodie versatur, cum priorum temporum rationibus comparata, quales in patria nostra florentissimis rebus publicis exstiterunt.

Priusquam vero orationem ingredior, non possum non paucis bonam veniam vestram deprecari A. A. Nam quum fere nemo sit eorum, qui in hoc celeberrimo atque illustrissimo conventu primum verba sint facturi, quin haud leviter commoveatur et perturbetur, quo tandem animo me nunc affectum esse putatis, qui in hanc Academicam lucem ex scholarum umbra protahar, in qua oratoriae facultatis excolendae occasio nulla umquam mihi data sit? Sed erigit me benevolentiae vestrae cogitatio, quam neminem adhuc frustra implorasse scio, qui orando apud vos tirocinium posuerit.

Nobis igitur Batavis vera cum gloria praedicare licet, literas Latinas, postquam e tenebris et silentio prolatae sint, in quibus per tot saeculorum seriem abditae latuissent, nusquam terrarum extra Italiam maiore industria diligentiaque, quam in nostra patria, cultas esse et elaboratas. Laetissimos autem illarum studium flores egit aurea illa aetate, cuius memoriam summo amore et pietate recolere atque amplecti consuevimus, saeculo dumtaxat p. C. n. XVII. Maiores enim nostri

rara felicitate e belli fluctibus, quod pro tuenda libertate susceperant, vixdum erant emersi, quum omnes animi vires nervosque, laboribus atque periculis exercita, bonis artibus ac literis intendere coeperunt. Quum mercandi navigandique incredibili cupiditate excitata immensae opes undique affluxissent, sub umbra libertatis ac prosperitatis tutissimum illis quietissimumque refugium datum est, in quo singulari cura atque opera fovebantur. Oratio iam me deficiat, si quanto animi ardore maiores nostri ad Latinarum potissimum literarum studia se contulerint, vobis enarrare velim. A primis pueritiae annis quum illarum cognitione imbuerentur, continuataque lectione et assiduo usu exercitarentur, fere eandem scribendi loquendique facilitatem assequi solebant, ac si sub Latii coelo nati educatique essent.

Quoties scripta illius aetatis inspiciamus, ingenti tenemur admiratione promptae illius atque expeditae in Latinitatis usu facultatis, ad quam in omnibus scribendi generibus pervenerunt. In orationibus quam numerosa et concinna gravitas, in commentationibus quam dilucida et distincta explicatio, in epistolis quam elegans simplicitas, in carminibus denique quantus nitor, quanta dulcedo, quanta suavitas. Quoquo oculos convertimus, nativus quidam lepos elucet atque incredibili modo nos tenet et delectat. Inprimis autem ad poeticas virtutes excollendas ingenii vires doctrinaeque copiam adhibere solebant. Tam amplum poetarum proventum seculum illud tulit, quos Dauniae Camenae quasi divino quodam spiritu concitarant, ut prae ingenti carminum ab illis conditorum numero, vernaculae poesis monumenta vix conspicua essent.

At quid de solo linguae usu loquor? Veterum scripta

maioribus nostris fons erat et origo omnis artis, doctrinae, disciplinae, quae vel ad vitam instruendam ornandamque, vel ad usum popularem et civilem pertinebant. Quid, quod priscorum temporum contemplatione tam penitus se immerserant, mores praeterea, facta, instituta veterum cogitatione et mente ita complexi erant, ut ipsi interdum antiqui facti vitamque antiquam vivere sibi viderentur.

Satis magnus eorum numerus est, qui illam antiquitatis admirationem atque aemulationem tamquam immodicam insanamque deridere et damnare solent. Ante omnia maioribus nostris vitio vertitur, quod caeco Latinarum literarum amore correpti, patrias despexerint ac pro nihilo putaverint. Namque in hunc modum Latine scribendi consuetudinem invaluisse constat, ut plerique scriptores, si forte ad vernaculi sermonis usum descendere dignarentur, multis verbis lectoribus se excusare necesse haberent. Equidem etsi diffiteri nolim, amorem illum et mihi interdum modum excessisse videri, tamen iustam excusationem iis paratam esse existimo. Facile enim intelligitur, homines, qui Latinitatis studiis imbuti, humanitate et urbanitate inter aequales eminent, subtilioris atque elegantioris fuisse iudicii, quam ut primis vernacularum literarum rudimentis delectarentur, quae, licet futuri vigoris splendorisque semina continerent, tamen aut tristi languore aut scurrili fatuitate taedium plerumque movebant et fastidium. Tantum vero abest, ut studia illa reprehendam, ut etiam grata memoria prosequenda mihi videantur.

Liceat mihi hoc loco ipsarum Latinarum literarum primordia in memoriam vestram revocare, quae cum nostra

rum comparationem aliquam habere videantur. Quemadmodum apud nostrates enim belli periculis vix superatis literarum amor excitatus est, ita Romani liberales artes studiosissime colere coeperunt, simul ut Punici belli terror et tumultus sedatus est. Ut hic, ita Romae quoque, amor ille non in omnium animos repente invasit, sed paucos tantum viros accendit, genere et nobilitate conspicuos, qui quum vernaculae linguae usum libertinis hominibus peregrinisque relinquerent, Graecarum artium nitore et elegantia adeo capti erant, ut Graecae et scribere et loqui liberales homines unice decere arbitrentur. Etiam si autem non omni reprehensione carent, quod Graeca omnia cupide et inique extulerunt, fastidierunt et depresserunt Latina, tamen illa studia patriis literis utilia in posterum fuerunt et salutaria, quippe quae numquam ad verum florem et colorem pervenisissent, nisi Romanorum ingenium inhumanum ac barbarum, Graecis artibus excultum esset et perpolitum. Prorsus eodem modo maiores nostros, solis Latinis literis tractandis deditos, quia popularium mentes humanitate et doctrina sensim paulatimque erudierint, necopinato patriae linguae literisque favisse constat, quarum contemptum quotidie prae se ferebant.

Ad humanitatis amorem illum in nostratibus excitandum mirum quantum homines docti illi et ingeniosi contulerunt, quos rei publicae recens natae splendor ac dignitas peregre allegerat. Splendorem quum dico, in primis lumen et gloriam intelligi volo, quae ex hoc ipso honestarum artium domicilio emicuerunt, ex hac inquam Academia Lugduno-Batava, quae in medio belli tumultu maiorum sapientia condita, aeternas posteritatis laudes iis gratesque conciliabit. Ita huius lite-

rarum seminarii vix inchoata initia vel maxime fulsa et sustentata esse constat JUSTI LIPSIJ ingenio et JOSEPHI, JUSTI SCALIGERI, qui eruditionis praestantia doctrinaeque copia aetatis suae facile principes et erant et habebantur. Ii autem eandem illam scriptores veteres tractandi rationem in patriam nostram introduxerunt, quam in Francia fundaverant MURETI, TURNEBI, LAMBENI. Singulari non linguae solum, sed totius antiquitatis scientia imbuti, viri illi hoc praesertim egerant, ut Romanorum scripta assidue lectitata mendis vitiisque purgarent, quae priore seculo Italorum concepissent commentis; in quo quam admirabili acumine, sollertia, elegantia versati essent, neminem nescire arbitror, qui has literas vel leviter attigerit.

Ex hac igitur disciplina profecti LIPSIUS et SCALIGER sanae illius et rectae studiorum rationis fundamenta iecerunt, quae summa semper fidelitate et constantia a nostratibus observata atque exulta est. Proinde desinant aliquando queri quidam et calumniari, quasi critica veteres scriptores tractandi ratio huius aetatis hominum, pristinae virtutis degenerum, ineptum atque insanum sit inventum. Immo vero, iam olim ad usum nostrum moremque translata, quasi vernacula nobis facta est et maxima spes me tenet, fore ut propria et domestica mansura sit, donec suum honorem inter nos obtineant sana mens, naturalis prudentia, rectum iudicium et intelligentia.

LIPSIJ et SCALIGERI vestigia mox deinceps secuti sunt DOUSAE, HUGO GROTIUS, DANIEL HEINSIUS, PETRUS SCRIVERIUS, JANUS RUTGERSIUS, VOSSII, alii permulti, quorum laudes omnes, qui Latina studia colunt, ab oblivione hominum et silentio semper vindicabunt.

Medio fere seculo XVII magnam abundantiam quasi quaedam penuria exceptit. Nolite autem putare A. A. deminutum literatorum numerum ex studiorum amore refrigerato ortum esse. At vero post effusam et intemperatam admirationem sanior iam et aequabilior consecuta est antiquitatis aestimatio. Par nobile amicorum tunc exstitit, qui nobis omnium, qui ante fuerant, instar esse debent, quique ea doctrinae fama inter aequales floruerunt, ut communi vel exterorum hominum consensu pro Latinae linguae omnium sui temporis peritissimis haberentur. In JOHANNE, FREDERICO GRONOVIO enim et NICOLAO HEINSIO — namque hos orationem meam designare iamdudum, opinor, intelligitis — aetatis illius ingenium exhibuisse videtur, quid in Latinis studiis assequi posset. In his viris hoc in primis praedicabile et gloriandum mihi videtur, quod ita se literis dederrunt, ut nihil in iis praeter ipsas amarent. Antea enim fere nemo fuerat, quin alias res agens et subsicivo quodammodo studio in illis versaretur. Exempli causa HUGONEM GROTIUM nomino, quem, etsi criticam facultatem in permultis scriptoribus emendandis exercuerit, tamen ex Lucani lectione summam voluptatem ideo cepisse constat, quod regii dominatus odium confirmaret et corroboraret. Ita DANIEL HEINSIUS veterum scripta nimis saepe quasi pro armamentario quodam habuit, unde tela sumeret ad adversarios in rebus tam sacris quam civilibus oppugnandos. Itemque SALMASIO, homini putidae vanitatis atque ineptae arrogantiae pleno, longe honestius et liberalius videbatur iuris studia exercere civilesque factitare artes, quam literis totum se tradere. At quid singulos vobis enumerare? Fere neminem doctum antea fuisse scitote,

quin religioni et pudori haberet, omne tempus ponere in scriptis pagana, ut vulgo loquebantur, superstitione referatis, omnemque erga Deum pietatem se negligere crederet, nisi interdum scriptorem aliquem christianum tractando, immortalis animi sui saluti prospexisset.

Ab hac nimia atque anili, fere dixerim, religione viri, modo a me laudati, quum remotissimi essent, toto pectore antiquitatis studium amplecti omnique cura et cogitatione in id incumbere solebant ¹⁾.

Quando minime hic locus est, ut omnes horum virorum virtutes copiose vobis exponam, paucis tantum illas adumbrare satis habebō. HEINSIUS, verus Phoebi alumnus et quasi Calliopes sinu innutritus, natura atque ingenio ad poetas ferebatur. Divino ipse instinctu afflatuque impulsus carmina fudit, quae tanto nitore atque elegantiā, „ea numerorum concinnitate, ingenii-que ubertate et sententiarum pondere sunt conspicua, ut Latinae poesis quasi sucum et sanguinem in se recepisse videantur” ²⁾. Aequales, tantae virtutis poeticae summa admiratione capti, HEINSIO applauserunt, tamquam vati sui temporis omnium maximo, neque dubium est, quin eodem nomine eius memoria et hodie celebraretur, si patrio potius sermone, quam Latino carmina sua composuisset. Nunc vero quotusquisque est, qui legat illa atque intelligat?

Stabiliores autem ad diuturnitatem memoriae laudes magnis erga veteres poetas meritis sibi peperit, quorum „sospitator” verius, quam elegantius vocari solet. Fere

1) Etsi legationibus, per multos annos gestis, HEINSII nomen in officiis civilibus haud ignobile fuit, tamen dubitare licet, num forensi vita magnopere delectatus sit.

2) P. Hofman Peerlkamp, de poetis Latinis Neerl. p. 428.

nemo est inter poetas Latinos, cui non divinante animo lectionem vulgata sanioem compluribus locis restituere tentaverit. In quo, etsi fervidioris ingenii calore et impetu abreptus, audacius nonnumquam versatus est, tamen acuminis, sollertiae, elegantiae testimonium nemo facile ei denegabit. Et mentis inconstantia et fastidio quodam animi, quum ab assidua occupatione esset alienus, quae cum academici muneris officio necessario coniuncta est, neque literarum professionem obiit umquam, neque discipulos habuit a se profectos. Non minus hoc dolendum puto, quam quod variis vitae turbinibus ac tempestatibus iactatus, maturiore aetate spem ingentem, quam adolescens ostenderat, aliquantum fefellit. Attamen ingenii eruditionisque, quae ad poetas recensendos adhibuit, immensa copia, largus quodammodo fons fuit, quo ieiuna atque exilis sequentis aetatis doctrina refecta est et recreata. BURMANNUS certe, sub cuius diutino in literarum republica principatu vera eruditio praeceps ire coepit, ad ingentem illam, qua inter aequales floruit, famam numquam pervenisset, nisi ad Heinsiana scrinia facilis ei patuisset aditus.

Iam ad GRONOVIVM transeo, qui, si minus speciosa et splendida, at firmiore et stabiliore fama atque auctoritate, quam HEINSIVS, apud posteros viget. Magnam enim auditorum gregem instituit, a quibus quam in veterum scriptis tractandis rationem sequi solebat, servata et propagata est. Etiamsi poetas haud sine ingenii doctrinaeque laudibus aliquoties attigit, certe immortalis, quam consecutus est, gloria tota in praeclaris de prosa oratione meritis posita est. Quae in Livio et Seneca recensendis peregit pro solidis omnium sequentium editionum habentur fundamentis. Quamquam

quid hos solos commemoro? Perpaucos Latinos scriptores esse creditote A. A., quin admirabilis eius doctrinae beneficio emendati illustratique sint. Correctiuncularum captatores vero, qui pro eruditione morbum malebant et insaniam contrahere, desplicere et contemnere solebat. Numquam vulgatam orationis formam immutare aggressus est, nisi omnibus rebus caute et diligenter consideratis atque perpensis; in quo cogitationis intempestivae luxuriae ne minimum quidem locum dedit. At quum semel corruptelam aliquam ad liquidum confessumque perduxisset, quantis subsidiis ad verum prodeundum nitebatur! Quam intima Latinitatis familiaritas, quam, paene dixerim, divina sagacitas, quam accurata totius antiquitatis notitia; in rebus explicandis quanta perspicuitas, quanta elegantia in enarrandis!

Quum autem inter HEINSIUM et GRONOVIVM ea quasi studiorum exstaret vicissitudo, ut quod deesset alteri, id alter fere explere videretur, tamen uterque eorum sic sibi persuaserat, recta studia consistere nullo modo posse, nisi praecessisset accurata veterum librorum lectio. Etiam hac in re mirifice congruebant, quod, quamvis magni facerent veterum librorum auctoritatem, tamen illorum scripturam numquam ei praeverti sinebant, quam ipsos scriptores reliquisse credibile iis erat, neque vetera et falsa recentibus et veris potiora habebant. Barbari iis videbantur, quicumque non puram aquam ac limpidam, quam turbidam sordibusque permixtam bibere malebant ¹⁾.

Nolite vero putare A. A., viros illos tam angusti et pusilli animi fuisse, ut circa apices et puncta librorum

1) Cf. Gronovius, ad Livium XXIV, 25 et eiusdem Epistola ad Heinsium in Burmanni Sylloge III p. 3.

haerent. Vera studiorum dignitas iis non in literae vel syllabae mutatione constitit, sed in cognitione linguarum, antiquorum rituum, historiarum, praeceptorum sapientiae. Qui penitus literis se dedidisset, eum orationis lumina captare voluerunt, huius virtutes introspicere, vitia notare, vera atque propria a falsis atque alienis dignoscere, scriptorum denique mentem penetrare, ut praeclarum illud et egregium nancisceretur, posse de unoquoque eorum non quod audivisset ab alio, sed quod ipse sensisset, iudicium ferre ¹⁾. Nemo est, opinor, quin agnoscat, his omnibus rectam et sanam philologiam et hodie contineri.

Paulo diutius in his viris commoratus sum, non quo alterum utrum pro norma literati hominis et regula habendum existimem. Namque, ut vivos silentio praeteream, quippe quos nondum Libitina sacraverit, perfecti philologi et omnibus numeris absoluti imaginem multo magis mihi referre videtur singularis ille vir, qui sequens seculum ingenii sui lumine illustravit: RICHARDUS BENTLEIUS. Immo vero hanc solam ob causam de HEINSIO GRONOVIOQUE copiosius disserui, ut ostenderem vobis, ad quam altum fastigium literarum Latinarum studium florentissimis Batavorum rebus pervenerit.

Iam videndum erit A. A, ecquid hodierna studia sibi vindicare possint, quamobrem in maiorum comparationem se demittere audeant, neque ad laudem eorum aspirare vereantur. Ante omnia autem praemonere utile

2) Cf. Gronovii Epistola ad Heinsium in Burmanni Sylloge III p. 16.

erit, mutatas temporum condiciones hac in re diligenter esse observandas. Nempe abiit tempus, quo eruditiores homines in loquendi audiendique commercio Latino sermone utebantur, quoque nulla res, quae quidem ab imperitorum intelligentia esset paulo remotior, literis rite mandata videbatur, nisi Latine esset conscripta. Evanuit poetarum illud et versificatorum genus, qui facultatem suam Latinis potissimum carminibus condendis experiri solebant. Iam diu denique Latinae literae thesaurus esse desiit omnis humanitatis, omnis doctrinae et sapientiae. Ut autem fere cuiusvis disciplinae subtilior doctrina tunc demum nasci solet, quum pauci homines, atque ii vero amore et admiratione incensi, toto pectore in illam incumbunt, ita Latinae quoque linguae accuratior notitia haud exigua cepit incrementa, postquam usu eius in angustiorem gyrum compulso, non amplius ad sensum popularem vulgaremque se accommodare coacta est. Quicumque igitur considerare volet, sintne huius temporis studia maiorum exemplo institutoque digna putanda, ei minime negligendum censeo, studia illa aequalibus nostris eas imponere necessitates, quae a maiorum rationibus aliquantum differant.

Primum autem dubitari nullo modo potest, quin multo rectius hodie, quam antea, in codicibus legendis atque aestimandis docti versentur. Antiquis enim hominibus illis nihil praestabilius videbatur, quam infinitam librorum M. S. multitudinem studiose recognoscere atque conferre, ita quidem, ut quo quis plures esset perscrutatus, eo doctior haberetur et instructor. Minime porro ignorabant, quid aera distarent lupinis. At in tempus, quo libri scripti erant, inquirere aut negligebant plerumque, aut parvi faciebant, neque umquam

iis veniebat in mentem, ordines illorum certos familiasque describere. Nos vero, de numero minus laborantes, non tantum ex scripturae genere, summa cura examinato, de aetate coniecturam capere, sed etiam singulis rebus prudenter consideratis librorum originem ita persequi et ordine describere conamur, ut inde varias propagines cognoscere possimus. Incredibile quantum doctorum Germanorum subtilitas et industria, his fere quinquaginta annis, profuit ad hanc doctrinam promovendam excolendamque. Criticae arti, apud maiores titubanti saepe et vacillanti, firmiora eo fundamenta addita esse in promptu manifestumque est.

Ad grammaticam artem transeo, quae hac nostra aetate in tam sublime venit fastigium, ut, si ad priorum illorum temporum rationes respiciamus, homines, qui tunc viverent, vix prima eius rudimenta nobis deposuisse videantur. Si quis tamen illorum studia contemnere ac pro nihilo habere velit, is mihi reputet, non fere aliam ob causam grammaticae leges observare illos consuevisse, quam ut Latine scribendi sibi praecepta compararent. Qua in re quanta socordia licentiaque praecedentis aetatis homines versati essent perpauca vestrum A. A. nescire arbitror. Etenim soliti fuerant illi fere ad unum omnes JUSTI LIPSIJ ingredi vestigiis, qui, quum puerile et insanum unius Ciceronis imitandi studium fastidiret, quod inter Italos percrebruisset, solutius scribendi genus introduxerat, ita ut „voces non modo Accianas pro gemmis et unionibus passim ostentaret, sed Tertulliani, Arnobii ceterasque infimi aevi faeces cum iis frequenter confunderet commiseretque.”¹⁾

1) Cf. Heinsii Epistola ad Maresium in *Burm. Sylloge* V. p. 605.

Multo probabiliorem hac in re rationem HEINSIUS meus secutus est, cui scribendi dicendique genus ex aevi optimi tribus quatuorve scriptoribus formandum videbatur, quos sedula et iterata lectione in sucum sanguinemque redigendos putabat.

Quanto autem maiorem grammaticae vim quamque ampliorem notionem in literarum studiis nos subiicere didicimus! Procedente enim tempore accurate non modo fundata, verum etiam exstructa disciplina nobis facta est perpetuisque praeceptis ordinata, quae in efficacissimis annumeratur adiumentis ad scriptorum naturam et facultatem intelligendam. Vix autem dici potest, quanta diligentia docti hodie in variis scriptoribus excutiendis occupati sint, ut proprietates deprehendant in singulorum oratione conspicuas legesque cognoscant, quas in verbis construendis ordinandisque sibi statuerint. Quorum studiorum beneficio quum rationes illas, quales inde a priscis temporibus usque ad decrepitam Latinitatis aetatem vigerunt, fere uno in conspectu nunc videamus, et varias in sermonis consuetudine mutationes atque vicissitudines intelligere et nativos sincerosque colores discernere possumus a fucatis imitationis splendoribus. Harum omnium rerum accurata notitia nemo certe nos maioribus nostris inferiores putabit, nisi cui nimia priscorum temporum admiratio mentis aciem perstrinxerit. Ex veteribus praeterea codicibus, diligentius quam antea lectis, multas voces flexionisque formas depromptas videmus, quas antiqui homines, tamquam spurias, vel negligere, vel reicere solebant; quo factum est, ut nostra memoria recte scribendi ars eos haberet progressus, quos illi ne divinante quidem animo umquam praesagire potuerint.

Quantum denique ad verborum formularumque copiam augendam ingens titulorum numerus valuit, aeri lapidibusque incisorum, quos per hos annos erutos, collectos, dispositos videmus! Eventus atque exitus investigationum, quae RITSCHelio et MOMMSENIO auctoribus in illos collatae sunt, tam ad linguae, quam ad historiae notitiam illustrandam, non minus doctorum animos agitasse ingeniaque acuisse constat, quam Graeca studia post renatas in Europa literas, vel Sanscritica huius nostri seculi initio.

Neque illa disciplina hoc loco silentio praetereunda est, quae cognatarum linguarum voces inter se comparando, in harum originibus rationibusque perscrutandis atque enodandis tota versatur, ad quam permulti hodie docti omni cura et studio rapiuntur omnesque ingenii vires conferunt.

Eorum sane sententia minime repudianda videtur, qui huic disciplinae cum ipsa philologia aut exiguam, aut nullam intercedere necessitudinem existimant. Nam quum philologus nuda ac simplici forma posthabita verborum tamquam animum et spiritum captat atque praecipue exquisita literarum monumenta contemplatur, is, qui linguis inter se comparandis operam dat, ad unam vocabulorum suppellectilem animum attendit, quorum singula quasi membratim discernere et destruere variasque particulas diligentissima cura examinare solet, atque id ita ut ferocissimae cuiusque gentis horridas et inconditas voces perinde habeat, ac nitidam et sonoram perfectissimae linguae suavitatem.

Verum enimvero neminem esse puto, qui Latinas literas amet, quin horum virorum studia maximi facienda iudicet. Subtilissimis enim eorum acutissimisque dis-

quisitionibus debetur, quod de variis etymologiae partibus, de complurium vocabulorum originatione, formatione, orthographia, elocutione, de derivandi flec-tendique rationibus multo accuratiorem perfectioremque notitiam nos, quam maiores nostri habemus. Horum autem hac in re conatus supra Varronis et posteriorum grammaticorum doctrinam non ascendere solebant, qui nunc maximam partem nugae nobis et deliramenta videntur. Attamen negari nullo modo potest, multos semidoctos et hodie eas interdum ineptias effutire, quae atram caliginem legentium mentibus offundant, haud dissimiles hac in re ΒΟΧΗΟΡΝΙΟ, bono homini illi, qui quum in Scythica lingua reliquarum omnium fontem et originem deprehendisse sibi videretur, ΓΡΟΝΟΒΙΟ ΗΕΙΝΣΙΟQΥΕ perpetuam prae-buit ridendi iocandique materiem.

Quomodo autem in etymologia in Varronis verba maiores nostri iurare solebant, ita in re metrica fere totos eos a Prisciano et Terentiano Mauro pependisse constat, qui quum non tam arte aliqua, quam naturali quodam sensu ducerentur, eas versuum leges tradiderunt, quae, etsi imitatorum usui sufficere possent, tamen nec diligentia, nec subtilitate commendarentur. Ut hodie rem metricam in artis modum venisse videamus, ad certa praecepta redactae, ante omnes ΒΕΝΤΛΕΙΥS effecit. Is enim primus quaerendi vias demonstravit, quas posteriores homines summa deinceps industria ac labore ingressi et persecuti sunt.

Iam ad alium locum transeo, quo quantopere studia nostra a priorum temporum rationibus discrepent vel omnium luculentissime ostenditur. Quoties enim reputamus, quantum maiores nostri ad veteres scriptores illustrandos contulerint, quam multas quaestiones ad hi-

storiā et antiquitates, ad mythologiam et philosophiam pertinentes tractaverint, fieri non potest, quin copiosam illorum doctrinam, multa lectione comparatam, summis laudibus efferamus. Attamen vix temperare possumus, quominus doctos illos, qui cernendi iudicandique munus in verbis acerrime exercere solerent, eosdem in rebus ponderandis examinandisque ieiunos atque inanes dicamus. Universe sic potest constitui, criticam illorum artem tam angustis finibus fuisse circumscriptam, ut ultra verba vulgo non progrediretur. Tanta nimirum veneratione veterum scripta evolvere solebant, tantamque fidem eorum auctoritati tribuere, ut non nisi timide et pedetentim rerum ab iis traditarum censuram eos agere videamus. Ita quoque factum est, ut strictim tantum et suspensis verbis sententiam suam aperirent de singulorum librorum virtutibus vitiisque, de scriptorum personis temporibusque, de rationibus externis, quae ad eorum opera conficienda momenti aliquid habuerunt, de omnibus denique rebus, quae ad historiam literariam nobis pertinere videntur. De hisce omnibus, inquam, securi et otiosi toto animo voluptati se tradidisse videntur, quam ex Latinorum scriptorum lectione et meditatione percipere solebant, quibus nihil neque perfectius ad formam, neque ad sententiam absolutius excogitare sibi potuerunt.

Nobis vero, qui in omnibus quaestionibus illis desudare atque elaborare consuerimus, aequioris iustiorisque aestimationis palmam ne acerrimus quidem acti temporis laudator denegabit, etiamsi fortasse dolendum putabit, vel eo potissimum ardentem illam Romanarum literarum admirationem, qua maiores nostri tenerentur, aliquantum refrixisse. Recentiorum enim populorum

literae, postquam antiquarum formarum nimis artis vinculis liberatae, in ampliorem dignitatis gradum suis viribus provectae sunt, permultum valuerunt ad iudicium nostrum acuendum, elegantiam excolendam, augendam intelligentiam. Praecipue autem tralaticium Latinos scriptores unice admirandi extollendique morem praecedente seculo labefactatum esse constat, quum Graecae literae, quarum studium misere antea iacuerat, tandem debitum sibi vindicarunt honorem. Postquam aeterna illa Graecorum ingenii monumenta verius aestimata sunt, tunc demum homines in rebus literariis diiudicandis sapere didicerunt ac recte sentire, quid lepidum esset et venustum, quid ineptum et inficetum. Ita factum est, ut apud nos, qui Romanos scriptores subtiliore trutina examinare soleamus, Latinae literae aliquanto minoris sint ponderis, quam apud maiores illos, qui Graecorum elegantiam et urbanitatem nondum sensibus suis gustare potuissent.

Nemo est hodie, quin agnoverit, Populum Romanum, agresti loco natum castrisque innutritum, numquam primae originis deposuisse memoriam, gladium speciosius semper quam stilum tractasse, rigidas denique et austeras legis formulas avidius animo hausisse, quam dulcissimi carminis modos numerosque. Compertum nobis est, quoniam ea vel ingenii dexteritas, vel mobilitas animi a natura illis denegata esset, quibus solis subtilior intelligentia nascatur, literas, quas summa contentione et industria addidicissent, nonnisi artificiosa expolitione apud eos elaboratas esse atque perfectas. Quarum cultus quum ex sedula Graecorum imitatione natus esset, cui singuli tantum nobilium hominum circuli atque sessiunculae temporibus subsicivis se de-

lectarent, neque umquam extraneis illis adminiculis totas eas liberatas et vulgi opinione pro rebus fere transmarinis atque adventiciis semper habitas esse. Ne hoc quidem nos fugit, prae sobria et nativa Graecae orationis elegantia, Romanorum dicendi genus ampullis et calamistris saepius sordere.

Agnovimus inquam haec omnia et tamen nobis constat, futurum fuisse, ut singulare illud ac prope divinum, quod in artibus et literis omnibus Graeci expresserint atque effinxerint, generi humano veluti diffluet et dilaberetur, nisi per Romanos deinceps eas induisset formas, quae quum facilius in popularem caderent intelligentiam, tum etiam aemulationi locum relinquerent. Perfecta et consummata pulchri species, qualis in Graecorum operibus deprehenditur, augustior et sublimior fuit, quam ut exemplo esset, quod imitando sequerentur posteriorum seculorum homines. Nemo certe est mortalium, quin Homerum, Sophoclem, Aristophanem, Thueydidem anteferat Vergilio, Senecae, Terentio, Tacito. Ac tamen hi, recentiores populos aemulationis stimulis concitando, literis eorum animam et vitam infuderunt, illi vero omnia semper imitatorum studia ad extremam desperationem et antea adduxerunt et adducent in posterum. Subtiliores praeterea Graecorum contemplationes, ad philosophiam pertinentes, quum extra vitae quotidianae rationes positae essent, nunquam veros generi humano tulissent fructus, nisi a Romanis in concisarum sententiarum formulas coartatae, ad communem sensum accommodatae essent. At, quid singula profero? Quemadmodum recentiorum populorum cultus atque humanitas a Romanis tota profecta sunt, ita Romanorum ingenium in sucum eorum et sanguinem penitus

receptum est. Ut enim rudes olim homines, per vitae quotidianae consuetudinem, in negotiis vulgaribus gerendis nativo sermone utebantur, ita simulatque e vili patuloque orbe egressi, ad altiora assurgere coeperunt deque iis rebus rationes sibi reddere, quas neque visu, neque tactu manifestas, meditatione tantum assequi poterant, Latine sentire, Latine cogitare, Latine loqui cogebantur. Inde Latina lingua Europae gentibus quasi thesaurus est, quo perpetua memoria asservatur incubulorum omnis doctrinae, disciplinae, eruditionis, omnis denique humanitatis. Quorum gradus atque progressus quicumque cognoscere volet, ad illam recurrere necesse habebit. Quid, quod in ipsis recentioribus linguis vocabula fere omnium artium et disciplinarum, quarum notio sola mente percipiatur, aut e Latino sermone conversa et deducta videmus, aut ad Romanorum exempla conformata. Ut autem unusquisque homo, quaecumque vitae conditione utitur, animum in primam pueritiam vel invitus remittere solet, ita gentes hodiernae, Latinis literis olim innutritae, quamvis indoles earum et natura procedente tempore degeneraverit, primordiorum suorum memoriam perpetuo conservabunt renovabuntque.

Sed iam tempus est eo redire A. A. unde huc digressus sum. Proposueram mihi paucis vobis explanare, quid de eorum opinione statuendum videretur, qui Latina studia, si cum florentissimae rei publicae nostrae rationibus comparentur, his temporibus vacillare vel iacere potius existiment. Ex iis autem, quae de variis partibus

summatim disserui, quodam modo intelligi poterit, aequales nostros multo pluribus et melioribus quam maiores illos praesidiis paratos, ipsam literarum doctrinam variis gravium artium instrumentis locupletasse, multo verius de scriptorum virtutibus vitiisque iudicare, multo denique aequiore aestimatione studiorum suorum metiri utilitatem. Neque hoc affirmare dubitaverim, nos ea cura et diligentia singulas disciplinas philologicas consecratos esse, quam illi neque praesagire animo, neque coniectura augurari unquam potuerint. Ita ut plus dicere mihi videantur, quam patiatur veritas, qui nos cum illorum temporum aequalibus in contentionis iudicium vocari posse negent. At vero, nos, qui solivaga cognitione delectemur, quique anxia quadam morositate singula limare ac minutissima quaeque scrutari consuerimus, calorem illum animi et impetum amisimus, qui maiorum studiis verum sanguinem et vigorem addiderunt. Nimia accuratio aridos nos atque exsuecos reddidit. Ipsa lingua postquam ex communis vitae sole atque pulvere in doctorum umbracula recessit, sensim ita obtorpuit, ut hodiernis hominibus iners ac paene mortua iaceat, quae maioribus viveret et spiraret.

Si igitur per rerum naturam fieri posset, ut illorum aliquis ad vitae lucem revocaretur, magnum esset periculum, ne nonneminem nostrum fere iisdem verbis moneret et obiurgaret, quibus GRONOVIVS olim GRAEVIVM¹⁾: „nae tu, qui varia et multiplici doctrina eruditum te iactas, *grammaticae*, non *Latine* scis”.

1) Burmanni Oratio in obitum Graevii, p. 91.

Antequam dicendi finem facio, reliquum est, ut officium exsequar, quo et hodierni diei consuetudo et pietatis me obstringit grata necessitas.

Primum igitur Vos appello, Universitatis huius Curatores, Viri Amplissimi. Vestro enim iudicio debeo, quod a Rege Augustissimo eo honore eoque beneficio dignatus sum, quibus nihil neque gratius neque acceptius in me deferri posset. Quid enim amplius, quid exoptatius, quam in hac illustrissima bonarum artium sede, eas literas tradere, quarum amorem a puero conceptum, iuventus auxit accenditque, maturior aetas confirmavit et stabilivit? Hoc quum reputo, summo gaudio et laetitia pectus perfunditur et gratiam habeo, quantam maximam animus capere potest. At quam multa sunt, quae gravi me cura et sollicitudine afficiunt, praesertim quum de doctrinae penuria cogito, quam provinciae mihi mandatae vix sufficere neque ignoro, neque dissimulo. Nam quum earum literarum studium tuendum mihi tradidistis, quae, a summis deinceps hominibus excultae, in maximo semper honore habitae sunt, ex quo haec Academia dignitatis suae splendorem obtinuit, tum ei viro me succedere voluistis, qui, officio illo egregie perfunctus, per XVII annos huic disciplinarum domicilio decori fuit et ornamento. Etsi neque ingenii dotibus, neque doctrinae praestantia PLYGERSIO me aequiparari posse satis sum mihi conscius, tamen hoc fide mea promitto Vobis, Viri Amplissimi, hoc spondeo, neque voluntate, neque labore, neque industria me muneris mihi delati partibus defuturum et omni ope me enisurum esse, ne Vos Vestrae de me existimationis unquam poeniteat.

Singularibus verbis Te affari mihi liceat, Excellen-

tissime SLOET! Quam maxime Tibi me devinctum sentio ob insignem comitatem et benevolentiam, quibus me prosequi haud es dedignatus, neque levi afficior dolore quod per mutatas vitae rationes rarius Te videndi posthac mihi dabitur facultas. Cupio autem optoque, ut per longam annorum seriem haec Universitas eximia prudentia, consilio, auctoritate fruatur, quibus saluti eius prospicere commodaque tueri soles.

Iam ad Vos me converto, Professores, Viri Celeberimi. Quod nunquam antea neque spe, neque animo cogitare potui, fore ut aliquando in Vestrum Clarissimum Ordinem reciperer, id hodie ad verum perductum esse video. Cuius rei gravitas ita me tenet atque obruit, ut nonnisi summa verecundia ad Vos accedere audeam. Rogo Vos et oro, ut et benignis me animis in numerum Vestrum adsciscere et consilio iuvare velitis, quod multarum rerum usu et experientia Vobis suppetit. Equidem, si quid promittere de me possum, promptum meum studium atque obsequium in omni genere officii libenti animo Vobis polliceor.

Te vero, Clarissime COBETE, quibus verbis alloquar, ut et Tibi et universo huic conventui comprobem, quantopere Te colam ac diligam? Inter multa bona, quae mihi in vita contigerunt, hoc vel praecipuum puto, quod Te doctorem habui, Te, qui ingenii Tui lumine verae illi et masculae philologiae in patria nostra eum splendorem addidisti, qui aurei seculi claritati paene tenebras obduxerit. Ut nemo est omnium, qui ex Tua disciplina profecti sunt, quin studiorum amore inflammatus sit, ita ego quoque, postquam auditorum Tuorum gregi adscriptus sum, et doctrinae Tuae ubertate et abundantia ingenii incredibili modo me

captum atque abreptum esse palam profiteor. At non eo nomine tantum beatum me praedico, quod studiorum rationem Te duce atque auctore et suscipere et ingredi mihi concessum fuit, hoc etiam gloriari possum, Te, pro humanitate Tua et facilitate, in amicitiam Tuam me recepisse. Quoties Academico cursu peracto literarum studiis me expertus sum, Tu, COBETE, blandis verbis me adhortatus es, ut quam viam institissem, eam bono animo tenere pergerem. Tua denique gravissima commendatione, Tuo ornatissimo praeconio in eam veni aestimationem, ut multorum iudicio hac provincia non indignus haberer. Quae prolixa benevolentia quamquam me recreat et reficit, tamen gravibus etiam officii me implicat necessitatibus. Nam quum nequaquam tantas in me agnoscam ingenii vires, ut dignus collega Tibi haberi possim, humanitas Tua me sperare iubet, Te, quem semel discipulum omni comitate sis complexus, eundem doctorem amantissimo Tuo fidelissimo consilio in posterum quoque iuaturum. At vero simul hac religione obstrictum me sentio, ut Tuam erga me voluntatem retinere ac conservare nitar. Qua in re si quid valeant fides, pietas, observantia, officio meo me non defuturum promitto Tibi, recipio, spondeo.

Officit huius diei laetitiae quod PLYGERSIUM oculi mei desiderant, etiamsi causam absentiae eius facile et intelligo et accipio. Quamquam spectatissimo viro studiorum duce et magistro uti a fortuna mihi denegatum est, tamen quod ad hunc honoris gradum perveni, illi quodammodo acceptum refero. Numquam illius diei mihi excidet memoria, quo, academicum curriculum paene permensus, studia mea ei probavi. Ita tunc a PLYGERSIO

discessi, ut me Latine aut parum, aut nihil scire, rubore suffusus, agnoscerem. Quae cogitatio quantis stimulis me concitarit ad studiorum lacunam explendam, facile vos omnes A. A. intellecturos arbitror. Quid ego *PLUYGER-SIO* debeam paucis significavi. Si vero declarare vellem, quam optime de hac Universitate, de discipulis suis, de literarum denique studiis meritis sit, multo pluribus verbis opus mihi esset. Quibus si consulto nunc parco, ipsius optimi Viri voluntati morem gerere mihi videor, quem, qua est singulari animi modestia, ab omni, quamvis iusta, laudatione alienissimum cognovi. Hoc tantum dico, nihil mihi unquam potius futurum, quam ut *PLUYGERSII* vestigia premere virtutesque aemulari coner.

Paucos benignioribus votis hunc diem excepisse scio, quam Te, amicissime *ZAAVER!* Coniungit nos enim intima familiaritas, quae, laetissimis iuventutis annis contracta, per varias deinceps vitae vicissitudines non permansit tantum, sed longa die firmior etiam et stabilior facta est. Et ego Te tandem mihi redditum ex animo gratulor. Fidem Tuam et constantiam, non semel perspecta et probata, magna perpetuae voluntatis Tuae pignora habeo. Suavissimae coniunctionis nostrae vinculum artius constringetur nunc, quum, officii communitate Tecum sociatus, iam collegam Te comitemque salutare mihi licet.

Quod Te huic solemnī praesentem adesse video, praestantissime *SURINGAR*, et toto pectore gaudeo et summo mihi honori duco. Nemo enim est eorum, qui Latina studia celebrant, quin Te colat et observet, cui per totam vitam nihil magis cordi fuerit, quam decus eorum et dignitatem strenue sustinere. Quantum tem-

pus recordari iuvat, quo Tuis auspiciis in stadium illud descendi, ex quo ego haud scio an intempestive egressus sim, ad cuius calcem vero Tibi, omnium bonorum laudibus cumulado, nuper decurrere contigit. Etsi iam vacas a scholastici muneris officiis, minime tamen in literarum studiis cessas, quibus ita otium Tuum illustrare soles, ut exemplo sis, quod omnes aetates ad imitandum sibi proponant. Qualem hodie Te aspicio, vegeta senectute virentem, talem utinam Te diu conservet Deus Optimus Maximus.

Quod in exitu demum orationis Vos appello, ornatisimi iuvenes, Universitatis huius alumni, in eo consuetudini me morique maiorum obsequi creditote, minime vero animo meo et voluntati. Ita enim hoc munus suscipio, ut nihil pulchrius mihi, nihil honestius videatur, quam Vestris rationibus consulere, Vestris commodis servire, studiorumque meorum fructus in Vestram conferre utilitatem. Nolite expectare, fore ut ampla nunc et copiosa oratione ostendam, qualem me Vobis praestaturus sim. Vestra fert aetas atque indoles, ut res spectare, quam verba audire malitis. In promittendo igitur parcus ero. Hoc tantum teneatis velim, quum multos studiorum duces habeatis, quos doctrinae copia, eruditionisque praestantia assequi minime valeam, tamen assiduitate in studiis Vestris iuvandis, industria, diligentia me nemini horum imparum umquam repertum iri. Quid a Vobis expectem monere supersedeo. Omnia enim magna atque praeclara a Vobis spero, optimi iuvenes, quos haec tria exornant, quae tamquam signum quoddam sequi soletis:

VIRTUS, CONCORDIA, FIDES.

